



405

ubi discipuli et ipsa in die pentecostes Spiritum sanctum acceperant, et ibi novo gaudio replebatur. Indeque descendit, et sepulchrum prophetae David, patris sui, quaesivit, et hoc facto venit in suum oratorium, quod prope erat, in quo habuit pro reliquiis, ut pie creditur, duos magnos lapides sibi per angelos allatos a monte Synai, unum de loco, ubi Moyses rubum ardere vidit sine consumptione: et juxta lapidem gratias condignas egit de suae virginitatis gloriosa conservatione; alium vero de summitate montis Synai, in quo decalogi praecepta fuerunt Moysi tradita: et juxta hunc lapidem contemplabatur praeceptorum eminentiam, et Deo reconciliabatur, quod per eam mundo datus est ille, qui legem ad jota et apicem adimplevit, ut habetur Matth. V. Hos duos lapides habuit, in quibus loca deserti Synai visitavit, quia vere peregrina fuit. De his lapidibus vide fol. 103. B. Ab hoc loco post orationem surrexit, et in domum rediens finem peregrinationis suae illo die imposuit.

De domo mansionis beatissimae Mariae Virginis vide fol. 205 A. De illa peregrinatione beatissimae Mariae Virginis dicit Odilio, antiquus ecclesiae doctor: si scire volumus, quid beata Virgo post ascensionem Domini egerit? Sine dubio loca nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis, frequenter visitabat, et in eis lacrymas fundebat, et oris sui sanctissimi oscula imprimebat. Et beatus Hieronymus in sermone de assumptione sic dicit de eadem peregrinatione: fortasse praenimio amore in loco, in quo filius ejus natus, mortuus et sepultus, credimus interdum habitasse, per quae loca piis pasceret interius amor obtutibus, quia hoc habet impatiens amor, ut, quod desiderat, semper invenire se credat. De hac etiam peregrinatione loquitur Antonius, in Summa 4. Parte Tit. XV. Cap. 43. §. 2. Ambo tamen credunt, quod peregrinatio illa beatae Mariae Virginis magis intelligenda sit secundum spiritum, quam secundum locum. Sed per hoc non negat, eam etiam secundum locum peregrinatam fuisse, in qua peregrinatione multum meritum acquisivit. Quolibet enim motu liberi arbitrii merebatur, ideo in omni actione merebatur. Cujus prima ratio est: intellectus semper rectus est, nisi quando se immiscet phantasticis, et deducitur ab eis. Sed

420

418

424

414

429

409

469

369

319

Ende

Anfang